

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0218

0216

0222

0212

0227

0207

0267

0167

0317

0117

0717

Ende

Anfang

206

in illa subversione civitatis et filiorum ejus fuerit miseria, non est, qui legit Josephum de hoc loquentem, et non horrescat. Hujus calamitatis et excidii [causa] Flori praefecti inhumanitas fuit, qui Judaeos in Jerusalem innumeris attriverat malis, propter quae lacesisti res novas contra Romanos movere tentarunt et facto impetu multos Romanorum interfecerunt, et Cestium Syriae praesidem extra provinciam ejecerunt. Sed et ipsi Judaei in civitate ipsa partiales facti, in tres partes divisi sunt, et in urbe ante Romanorum adventum caedes crudeles et incendia in invicem fecerunt et seditionibus implacabilibus die noctisque corrixaverunt. Quorum malorum causa meritoria fuit Johannis Baptiste decollatio, Jesu Nazareni crucifixio, Jacobi Apostoli imperfectio; quae omnia lamentabili sermone in longum deducit Josephus de bello Judaico.

Post illam devastationem civitatis, quae facta fuit XLII. anno post Domini passionem, factus fuit locus habitaculum latronum et sicciorum multis annis, usque ad tempus Helii Adriani Imperatoris, qui audiens inquietudinem loci venit, reaedificata dissipavit anno Domini CXXIV. et inquietos ex ea perdidit. Sed postea consideravit ibi oportere esse civitatem, rediit anno Domini CXXXIX. eamque renovavit et augmentavit, includens moenibus civitatis loca dominicae passionis et resurrectionis, ut in sequentibus clarius patebit, et civitatem novam fecit, vocans eam ex suo cognomine Heliam.

Post hanc ultimam constructionem non legimus eam funditus eversam, sed saepe in partem destructam, et populum ejus in captivitatem ductum, nec umquam est mota a suo loco, ut Gregorius videtur dicere in homilia: Videns Jesus civitatem flevit; sed est ampliata, ut dicetur et saepe iam in praecedentibus dictum est.

Quamvis autem sancta haec civitas multis et inauditis calamitatibus attrita sit, numquam tamen nec ejus initium, nec ejus status in oblivionem venit, sed ut memoriale perenne jugiter apud cunctas nationes mundi perseverat. Quod tamen de celeberrimis mundi civitatibus, Roma scilicet et Troja, longe aliter contigit. Nam quis conditor urbis Romae fuerit, a nullo umquam pro certo sciri potuit, propter diversitatem,

